

doctrinam de Verbo DEI, hodie non nisi S Scriptura comprehenso, inter articulos *Dæmones* propius *attinentes*, & revelatum illud ita ideo quoque esse, ut nosceret diabolus, videri posset exinde, quod Salvator ipse tentatorem statim ac toti Matth. IV. es ad Scripturam remittat, tanquam commune principium, Luc. IV. cum alia ratione ipsum arcere potuisset. Saltem ita censuisse diabolus, se quoque Scripturæ promissiones attinere, *Epiphanius* c) Justinum secutus statuere videtur. Verum re curatius pensitata, ex illo facto, nobis quoque literam esse curatissime servandam docturo, amplius quid colligi nequit, quam quod noverit JESUS perspectum esse diabolo, hominibus extra præscriptos a Verbo DEI limites non esse procedendum. Vnde bene *Origenes*: d) *Vnde tibi diabole hoc scire quod ista scripta sunt? num legisti prophetas vel divina eloquia cognovisti? Legisti non ut ipse ex lectione sanctorum melior fieres, sed ut simplicitate eos, qui amici sunt literæ, interficias. Scis, quia si de aliis ei voluminibus loqui volueris, non decipies, neque habere poterunt auctoritatem assertiones tuæ. Novit nempe S. literas diabolus non tanquam sibi sed tanquam homini scriptas. Quod si diabolus attineant S literæ, attingunt eum tanquam fortis ille *) gladius Spiritus, ipsum toties tamque acerbe lædens, *) Eph, quo vincunt ipsum pii quoque, secuti in eo Redemptorem IV. 17. suum. De quo apposite *Irenæus*, e) contra Valentinianos, *Propter hoc* (quia unus est, qui plasmavit nos ab initio, & in fine filium suum misit) *salvator diabolus non aliunde destruxit, nisi & dictionibus legis, & patris præcepto adjutore usus & p. p. Sermone DEI ergo eum traducens Dominus, postea jam per verbum constanter eum colligavit, quasi suum fugitivum, & diripuit ejus vasa, i. e. homines.**

(a) Defendit utramque historiam contra Balth. Bekeri & Zach. Webberi injurias B. Præceptor meus, Theologus de Ecclesia meritissimus Zach. Grapius in pecul. *Diss. de Tentatione Evæ & Christi.* b) *Historische Nachricht und Prüfung der so genannten Inspirirten* p. 122. conf. p. 48. c) *Heresi* 39. p. 289. d) *In Lucam* homilia 31. e) *Adv. Hæreses* L. V. c. 21. qui plura etiam de illa virtute Verbi DEI diabolus vincente habet c. 22.